

fortunio Martis, si in medio cœli extiterit facit uirum supremi ingenij se ipso acquirentem scientiam, & forte si in ascendente Leo, & in secunda tenens gradum erit, poterit ex acumine ingenij ex auri fonte aqua dulcissima manare, agilitatemq; dat in scientia stellarum, non tamen apreciati nominis est, nec ideo in bellicis\* ut multi iam affirmarunt. Mercurius quidē per se planeta debilis est, tamen confortatur & transmutatur in alterius naturam per dispositionem & essentiam. Transmutatio uero optima est, si cum optimo transmutatur. Hanc quidē solū demonstrat ingenium natū in tempore partitionis sui dispositoris secundum naturam suæ essentiæ, magis quàm ante hoc tempus, in domo quidem propria, etiam ab incunabulis signum demonstrat, 19

Ille nunquam auarus fuit, qui non ex infortunis uel ex domibus infortunarum significatum habuerit suarum diuitiarum. No\* auarus fuit qui ex Sole uel Lunæ significatum diuitiarum habuerit. 20

Natiuitas non laudanda est, si fortior fuerit dominus duodecimæ domino ascendentis, non aprecianda est natiuitas, quando nullam dispositionem dominus ascendentis debilis de domino duodecimæ habuerit. Natiuitas paritipendenda est, quando dominus duodecimæ disponit dominium ascendētis debilem, ipseq; fortis trahens ad se dispositionem formæ siue figuræ. 21

Nunquā te ipsum iudicabis, magis potens est amor q̄ forma planetarum. Iudicia tui cōmenda perito magis natura quā arte, consilio periti huius scientiæ quiesce, si septimam ipse non impeditam ab infortunis habuerit. 22

Non confides dare iudicium de uita siue alchocoden per iudicia domini domus hylech, Si prius non consideraueris dominū exaltationis. Vidi quidem Lunam in Piscibus hylech iunctam Ioui parua distantia in cuspide anguli quamuis septimæ, & mori ante finem octauū anni, Venus quidem in Scorpione fuit. 23

Planetarum aspectus non habentium latitudinem, sed manēt in linea ecliptica, gradus ipsius ecliptice accipiendi sunt in eorum